

Ne quis miretur qui sim, paucis eloquar.  
ego Lar sum familiaris ex hac familia  
unde exeuntem me aspexistis. hanc domum  
iam multos annos est cum possideo et colo  
patri avoque iam huius qui nunc hic habet.  
sed mi avos huius obsecrans concredidit  
thensaurum auri clam omnis: in medio foco  
defodit, venerans me ut id servarem sibi.  
is quoniam moritur—ita avido ingenio fuit—  
numquam indicare id filio voluit suo,                   10  
inopemque optavit potius eum relinquere,  
quam eum thensaurum commonstraret filio;  
agri reliquit ei non magnum modum,  
quo cum labore magno et misere viveret.  
ubi is obiit mortem qui mihi id aurum credidit,   15  
coepi observare, ecqui maiorem filius  
mihi honorem haberet quam eius habuisset pater.  
atque ille vero minus minusque impendio  
curare minusque me impertire honoribus.  
item a me contra factum est, nam item obiit diem.   20  
is ex se hunc reliquit qui hic nunc habitat filium  
pariter moratum ut pater avosque huius fuit.  
huic filia una est. ea mihi cottidie  
aut ture aut vino aut aliqui semper supplicat,  
dat mihi coronas. eius honoris gratia                   25  
feci, thensaurum ut hic reperiret Euclio,  
quo illam facilius nuptum, si vellet, daret.  
nam eam compressit de summo adulescens loco.  
is scit adulescens quae sit quam compresserit,  
illa illum nescit, neque compressam autem pater.   30  
eam ego hodie faciam ut hic senex de proxumo  
sibi uxorem poscat. id ea faciam gratia,

